

ad Bracarensem Archiepiscopum; ex quibus constat causam istam fuisse hactenus indecisam. Idemque Mariana refert lib. 20. c. 14. Joannem Conterium Archiepiscopum Tolosanum primum Archiepiscoporum illius Ecclesiae Primatis Hispaniarum nomen a Martino V. obtinuisse ann. Chr. 1423.

## CONCILIIUM TOLOSANUM

Anni 1228.

**D**ebellatis Albigenibus, Tolosa universaque Occidentalia Provincia subacta, protrita heresi, quam Raimundus Tolosatus Comes saepius victus armisque profligatus, tandem Parisiis ejuravit ad pedes Romani Legati Apostolici Diaconi Cardinalis tituli S. Angeli, praesente S. Ludovico nono Franciae Rege ann. 1226. omni studio tum ex parte Gregorii Papae IX. tum etiam ex parte Ludovici Regis collaboratum est, ut prostrata heresis penitus extingueretur: ipsaque Raimundus Comes edito publice iurejurando pollicitus est, se pro suis viribus in haereticos quoscumque inquisitionum, poenitiaeque statuta animadversurum; filiam vero suam Alfonso Pictonum Comitis S. Ludovici fratri cum Tolosani Comitatus dote nuptu collocavit. Pontifex interea Gregorius rogatus est tum a Raimundo Comite tum a Frederico Imperatore, quocum pacem tunc temporis habebat, tum ab Rege Ludovico, ut terras Venascensis Comitatus, quas occupabat, reconciliato demum Raimundo restitueret. Quibus respondet Pontifex epist. 24. 25. & 26. testem Deum sinceri animi sui arbitrum invocando, se non ea mente terras illam detinere, ut sibi jus ullum proprietatis ac dominii asserat, sed hac de causa restitutionem differre, quandiu periculum ac metus subsistat, ne dimissa illa terra in pristinam heresim relabatur: quo periculo transacto, se demum rogantibus Regibus, ipsique adeo Tolosatum Comiti rem gratam facturum. Posteriore deinde epistola, quae est 30. eidem Tolosano Comiti Raimundo per litteras & nuncios roganti restitit, alios esse qui eandem in terram jus se habere pretendant, seque ex officio jus suum cuique servandi astrictum esse: quae diversorum iura nondum a se examinata discussurum se, quamprimum licuerit, pollicetur. Interea Comitis indefessum in extirpanda heresi studium & laborem collaudat, & ad perseverandum impense adhortatur.

2. Is vero, quem praedixi, Pontificis Legatus Romanus Concilium Tolosae ex circumjacentibus Diocesisbus indixit, eique praesedit anno 1229. cujus praecipuos pro heresi proscribenda, & pace firmius stabilienda Canones hic appono:

Can. I. Statuimus itaque, ut Archiepiscopi & Episcopi in singulis Parochiis, tam in civitatibus, quam extra, Sacerdorem unum, & duos, vel tres bone opinionis laicos, vel plures, si opus fuerit, Sacramento astringant, qui diligenter, fideliter & frequenter inquirent haereticos, in eisdem Parochiis, domos singulas, & cameras subterraneas aliqua suspitione notabiles perscrutando, & appensa seu adjuncta in iisdem testis adficia, seu quacunque alia latibula, qua omnia destrui praecipimus, perquirendo: & si, quos invenerint haereticos, credentes fautores & receptatores seu defensores eorum, adhibita cautela, ne effugere possint, Archiepiscopo, vel Episcopo, Dominis locorum, seu Ballivis eorumdem cum omni festinantia studeant intimare, ut animadversione debita puniantur.

Can. II. Hoc idem faciant Abbates exempti in locis suis, quae non sunt Ordinarii iure Diocesano subiecta.

Can. III. Solliciti etiam sint Domini terrarum circa inquisitionem haereticorum in villis, domibus, & nemoribus faciendam: & circa huiusmodi appensa, adjuncta, seu subterranea latibula destruenda.

Can. IV. Statuimus etiam, ut quicumque in terra sua de cetero permittit scienter morari haereticum, sive propter pecuniam, sive ob aliam quancumque causam, & fuerit inde confessus aut convictus: amittat in perpetuum terram suam, & corpus suum sit in manu Domini ad faciendum inde quod debet.

Can. V. Si autem de scientia convictus non fuerit, & probata fuerit eius negligentia dissoluta, vel frequenter in terra sua inveniantur haeretici, vel super hoc sit diffamatus, poenis legitimis puniatur.

Can. VI. Illam autem domum, in qua inventus fuerit haereticus, diruendam decernimus, & locus ipse sive fundus confiscetur.

Can. VII. Ballivus vero, qui semper est in terra residens in loco, contra quem praesumitur, nisi contra haereticos valde sollicitus inveniantur & diligens, bona sua

amittat, & de cetero nec ibi nec alibi constituatur Ballivus.

Summa hujus ratio est in jure fundata, quia facientis culpam proculdubio habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare. Scriptum quippe est Rom. 1. Non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, participes iudicantur. Et nihil prodest non puniri proprio, qui puniendus est alieno peccato, c. facientis culpam, dist. 86.

Can. VIII. Ne autem innocentes pro nocentibus puniantur, aut quibuslibet per aliquorum calumniam haeretica pravitas impingatur, statuimus, ne aliquis ut credens vel haereticus puniatur, nisi per Episcopum loci, vel aliquam personam Ecclesiasticam, quae potestatem habeat, fuerit credens vel haereticus iudicatus.

Can. XII. Universi tam mares, quam feminae, masculi a 14. anno, feminae a 12. abjurent omnem heresim extollentem se adversus sanctam & Catholicam Romanam Ecclesiam & orthodoxam fidem, quibuscumque nominibus censetur: jurent etiam, quod fidem Catholicam, quam Romana Ecclesia tenet, predicat, servabunt, & haereticos pro viribus persequantur, & eos bona fide manifestabunt. Nomina autem omnium virorum ac mulierum in qualibet Parochia conscribantur, & omnes coram Episcopo, vel coram bonis viris, quibus hoc demandatum fuerit, praesentent juramentum praesens. Et si quis absens fuerit, & post reditum eius infra 15. dies idem Sacramentum non praesentierit, quod ex inspectione nominum poterit apparere, suspectus de haeresi habeatur: huiusmodi autem juramentum singulis biennis renovetur.

Can. XIII. Omnes autem utriusque sexus, postquam ad annos discretionis advennerint, confessionem ter in anno faciant proprio Sacerdoti vel alii de voluntate ipsius vel mandato, injunctam poenitentiam humiliter & pro viribus impleturi: & ter in anno in Natali Domini, Pascha, & Pentecoste, Sacramentum Eucharistiae cum omni reverentia suscipiendi, ita quod Confessio Communionem praecedat: nisi forte ob aliquam causam rationabilem ad tempus ab eius participatione abstinuerint de consilio proprii Sacerdotis. Solliciti sint itaque Presbyteri circa ista, ut ex nominum inspectione cognoscant, sicut superius expressum est, utrum sint aliqui, qui communicare subterfugunt: Nam si quis a Communionem nisi de consilio proprii Sacerdotis abstinuerit, suspectus de haeresi habeatur.

Proximum quod antecesserat generale sub Innocentio III. Lateranense Concilium, omnibus injunxerat confessionem & Eucharisticam communionem semel singulis annis can. 21. sed Tolosatense istud Concilium propter aeternum ex illis locis eliminandam, ter in anno hac fieri praecipit, ne haeretici delitescant.

Can. XIV. Prohibemus etiam, ne libros Veteris Testamenti, aut Novi, laici permittantur habere, nisi forte Psalterium, vel Breviarium, pro Divinis Officiis, aut horas Beatae Mariae aliquis ex devotione habere velit: sed ne praemissos libros habeant in vulgari translatos, arctissime inhibemus.

Can. XV. Statuimus etiam, quod quicumque infamati fuerint de haeresi, vel suspitione notari, officio Medici de cetero non utantur. Cumque aliquem infirmum de manu Presbyteri sui sacram Communionem contigerit recepisse, adhibeatur ei diligens custodia usque ad diem obitus sui vel convalescentiae, ne haereticus vel de haeresi suspectus ad ipsum infirmum possit habere accessum: cum ex accessu talium nefanda intellexerimus & enormia pluries contigisse.

Can. XXXVIII. Inhibemus etiam, ut Barones, Castellani, milites, cives, burgenses, seu etiam rurales, conjunctiones, colligationes, confratritas, seu alias quascumque obligationes, fide seu juramento, seu alia qualibet firmitate interposita facere non praesumant: quod si fecerint, Baro in centum libris currentis monetae puniatur, Castellanus in sexaginta, miles in quadraginta, civis vel burgensis in viginti, & rurales in centum solidis. Si quae vera conjunctiones vel colligationes usque nunc factae sunt, eas decernimus irritas & inanes; statuentes, ut omnes abjurare teneantur easdem.

Can. XXXIX. Item nullus castrum vel villem fuerit, de his quae ab Ecclesia tenentur, vel a Rege: quod si fecerit, & bona ipsius omnia publicentur, & excommunicatus perpetuo habeatur, nec a sententia possit absolvi nisi per Dominum Papam, aut Legatum de ipsius latere destinatum. Mittatur etiam ultra mare, ad terram propriam nullatenus reversurus.

Can. XL. Item statuimus, quod nullus aliqua occasione alicujus bona per vim rapiat, vel pignora, nec vassallum, nec rem vassalli pro domino capiat. Sed si quis aliquis sibi deberi credit, per iudices repetat. Si autem aliquis

## Concilium Narbonense, ann. 1235.

contra hoc fecerit, tamquam fractor pacis habeatur, & jus, quod habebat, amittat. Si vero nullum jus habuerit, res pignoras & eorum asimationem restituat: & in utroque casu, videlicet si jus habeat, vel non habeat, tantumdem Domino pro emenda persolvat.

Can. XLI. Pro pace quoque melius conservanda statimus, quod castra non adificentur de novo, occasione bovaria, vel quacunque alia ratione, nec munitiones diruta readificentur.

Can. XLII. Mulieres quoque viduae, & mulieres haeredes nobiles, quae munitiones habeant vel castra, inimicis fidei vel pacis scienter non nubant. Quod si fecerint, castra ipsa & munitiones a terrarum dominis occupentur, ad haeredes tamen ipsarum legitime reversura.

Can. XLIII. Nullus omnino iudex occasione expensarum seu pretextu alicujus consuetudinis, pro justitia exhibenda aliquid a litigantibus exigere vel extorquere praesumat: sed gratis omnibus justitia exhibeatur, postposita gratia, odio, vel timore.

Can. XLIV. Si autem aliqui pauperes sint, aut pro paupertate Advocatum habere non possint, det ipsis Curia Advocatum, si causa indigerit Advocato.

Can. XLV. Haec autem statuta praecipimus per Parochiales Presbyteros parochianis diligenter exponi quater in anno: in Dominicis videlicet diebus, quae septima quatuor temporum proxime subsequuntur.

## CONCILIIUM NARBONENSE

Anni 1235.

**C**onstitutis ex Ordine Praedicatorum Inquisitionibus a Gregorio Papa IX. initum Concilium trium Provinciae Narbonensis, Arelatenensis, & Aquensis, ejusdem, ut credere par est, Summi Pontificis iussu, qui tres istos Metropolitanos elegerat Petrum Amelium Narbonensem, Joannem Arelatensem, Raimundum Aquensem, tametsi duo ultimi, praesertim Aquensis, extra districtum illam essent, quam reixerant Comites olim Tolosani; sed major fortasse de his fiducia concepta fuerat, ut singulari prudentia Inquisitionibus fidei certas leges praescriberent. Narbone igitur convenienter novem supra viginti canones procederunt; ex quibus selectiores haec adducimus.

Can. VI. Omnes vero ab haeresi conversos faciatis culpas suas Clero & populo convocatis publice confiteri & abjurare atque jurare, prout in mandatis Apostolicis & in statutis Domini Romani plenus continetur. Nisi ubi culpe levitas & scandali enormitas rigori etiam huic quidquam ostenderent detrahendum, & singulis sicut publica instrumenta continentia culpas & abjuraciones, & promissiones, & poenitentias eorumdem; ne ulterius perire possint vel latere veritas diu celata, nunc autem a Domino tam mirabiliter quam misericorditer revelata.

Can. VII. Illa semper retentione caute adhibita, ut liceat vobis, seu aliis Inquisitionibus, seu quibus Romana Ecclesia, vel ille cui ex officio competit, duxerit committendum, pro vestro & illorum arbitrio ac voluntate injunctis poenitentibus reddere, vel detrahere ex causa rationabili quancumque.

Can. XI. Et illos qui post abjuracionem erroris seu purgacionem deprehensi fuerint in abjuratam haeresim recidisse, seculari iudicio sine ulla poenitentia audientia relinquuntur, animadversione debita puniendos: cum sufficiat talis per falsam conversionem semel Ecclesiam decessisse: praesertim ubi tanta invaluit eorum multitudo, licet eis poenitentibus nequaquam poenitentia sit neganda.

Can. XXII. Illud autem caveatis secundum providam Sedis Apostolicae voluntatem, ne testium nomina verbo vel signo aliquo publicentur: sed si instat, contra quem sit inquisitio, dicens, forte se inimicos habere, vel se in aliquos conspirasse: inimicorum ab eo seu conspiratorum nomina, & inimicitarum seu conspirationis causa & veritas exigentur: ut sic & testibus consulatur, ipsis etiam convincendis.

Quod hic statuitur, & infra can. 24. de testibus etiam criminosis, infamibus, & criminis ejusdem participibus ac delicti focis, particulare utique est in causa heresim, non vero in aliis quibuslibet causis, in quibus huiusmodi testimonia iure repelluntur, l. ob carmen, §. si testes, ff. de testibus: c. in primis, 3. q. 1. c. ex parte, & c. veniens, de testibus. Et ordo judiciorum exigit, & naturalis ratio suadet, ut reus audiatur allegans causas suspiciones contra testes: c. suspectos c. 3. q. 5.

Can. XXIII. Ad nullius vero condemnationem sine iudicis & apertis probationibus, vel confessione propria pro-

cedatis. Satis enim est facinus impunitum relinquere, quam innocentem condemnare.

Can. XXIV. Quamvis in ejusmodi crimine, propter ipsius enormitatem, omnes criminosis & infames, & criminis etiam participes ad accusationem & testimonium admittantur.

Can. XXV. Illis tantum exceptionibus fidem testium ex toto evacuantibus, quae non ex zelo justitiae, sed ex malignitatis fomite procedere videantur: ut sunt conspiraciones & inimicitiae capitales: alia vero crimina etsi debilitent, non repellunt, praesertim si testes de crimine fuerint emendati.

## CONCILIIUM TURONENSE

Anni 1236.

**A** pud Turones sub Pontifice Gregorio IX. regnante sancto Ludovico, initum fuit ab Archiepiscopo Juhello provinciale Concilium, cujus praecipuos canones hic proferimus.

Can. II. Quia per advocatorum, vel scriptorum imperitiam multa solent in causis pericula evenire, statuimus, quod nulli recipiantur in causis publicis, nisi per triennium iura audierint, vel sint in causarum exercitio approbati.

Can. III. Item nulli recipiantur scriptores in Curia, nisi sciant stylum Curiae, & statuta, super quibus examinari debebunt per officarios locorum tam Advocati publici, quam etiam scriptores. Inscriptus est canon iste de Notariis.

Can. IV. Statuimus, quod nulli statuatur Officialis, nisi per quinquennium iura audierint, vel per causarum exercitium iudicandi officio sint merito approbati.

Can. XIII. Dispositi Episcopi in suis Diocesisbus, qualiter de novo conversi erudiantur in fide, & commode sustententur, sicut viderint expedire, ne sub paupertatis pretextu, ad vomitum redire cogantur.

Praclare dicit S. Papa Gregorius in primum Psalmum poenitentialium: Boni Medici officium est non solum salutare restituere, sed etiam restitutam custodire sanilitate servare. At Episcopis animarum cura incumbit, quemadmodum Medicis cura corporum.

Can. XIV. Injungimus Abbatibus, & Prioribus, ut hospitalitatem exhibeant sicut decet, & maxime Religiosis, qui nisi nudum sequuntur, propter Christum propria dimiserunt.

Istam hospitalitatis virtutem impense Abbatibus & Prioribus commendat Benedictus in regula; per eam Abraham & Loth Angelos excipere meruerunt, a quibus Abraham nasciturus filii promissionem accepit. Loth vero cum sua familia ex incendio Sodomae liberatus ac ereptus fuit. Et hortatur Apostolus Hebr. 13. Hospitalitatem nolite oblivisci, per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis. Duoque discipuli infirmi Christum ipsum, postquam resurrexerunt, hospitio & mensa exceperunt. Pontifex etiam Gregorius Magnus respon. 1. ad Augustinum, quartam bonorum Ecclesiae portionem sacris canonicis pro Episcopo assignatam destinari refert ad ejus familiae sustentationem, & ad hospitalitatem, susceptionem exterorum, Citatur vero c. mos est, 12. q. 2.

## CONCILIIUM GENERALE LUGDUNENSE I.

Sub Innocentio IV. Pontifice anno 1245. celebratum.

**F**riderici Aenobarbi nepos, Henricique quarti Imperatoris filius, Fridericus secundus, ex Sueviae Principum profapia, beneficiis amplissimis ab Apostolica Sede affectus, quem a tenera aetate parentibus orbatum, bellisque civilibus divexitum tanta caritate in suam tutelam susceperat Innocentius III. ut ipsius opera non modo elisi fuerint illorum conatus, qui tum occultis conspirationibus, tum aperta vi materno illum Regno Apuliae Siciliaeque spoliare nitentur, sed etiam ad Imperium munierit, depulso in ejus gratiam Othone, qui quartus ejus nominis fuerat designatus Imperator. Ingratus porro Fridericus non tantum his beneficiis gratiam nullam rependit, sed arma etiam, quae